

• *g.* Peccant, & quandoque etiam graviter. Verum non obligantur ad restituendam domo loci feram, quam occiderunt: excipiendi tamen sunt illi, qui occidunt cuniculos Dominorum habentium jus leporari, aut qui capiunt columbas, aut piscantur in stagnis *Pontas*

CASUS IV. Vitalianus nobilis in districtu ditionis ejusdam commorans sæpe venatur, non obstante, quod dominus supremam ibi jurisdictionem habens se opponat.

g. Si Vitalianus habet feudum, licet ipsi venari in toto districtu feudi sui. Si autem non habet feudum, absque injustitia venari non potest. *Pontas.*

CASUS V. Euthymius dominus territorialis in aliqua parochia magnam sæpe diei partem diebus dominicis ac festis impendit venationi, audita tamen prius missa privata.

g. Violat præceptum sanctificandi dies dominicos & festos, & committit peccatum valde grave, nisi semel saltem per mensem assistat missæ parochiali; quamvis pro certo non ausim dicere, peccatum hoc esse mortale, saltem nisi sit conjunctum cum formali contemptu præcepti, aut hæc agendi ratio causet grave scandalum. *Pontas.*

CASUS VI. Fernandus dominus territorialis amplæ ejusdam parochiæ tam immodice deditus est venationi, ut fere omnibus diebus ferialibus per totum annum egrediatur ad venandum.

g. Omnis excessus in quibuscumque oblectationibus est vitiosus; & Fernandus peccat graviter, si venetur per agros femine conspersos, aut in vineis tempore prohibito.

NOTA. Ejusmodi damnificatio, si uno actu aut iteratione actuum inferat damnum respectivo grave, referenda est ad genus peccatorum mortalium, & obligat ad restitutionem.

CASUS VII. Joannes Abbas regularis cum commotione corporis indigeret, bis aut ter per septimanam venatum it; quin tamen ullum ex eo oriatur scandalum.

g. Canones interdiciunt omnibus Clericis tam sæcularibus quam regularibus venationem cum canibus & avibus. Licet tamen quandoque venari absque canibus & avibus, dum id ad sanitatem necessarium est; dummodo raro fiat, & sine scandalo. Nihilominus melius foret, si sanitati consuleretur per aliam exercitationem corporis. *De Lamet.*

VENDITIO.

1. *Venditio* est contractus, quo venditor cedit emptori dominium rei pro stipulata summa pecuniæ: *sine pretio* enim *nulla est venditio*. Completur venditio per solum consensum mutuum contrahentium, etsi pretium nondum sit solutum, nec res vendita emptori tradita. Consensus iste inter præsentem præstatur vel viva voce, vel scripto; inter absentes vero per literas, vel per procuracionem: & tunc revocari non amplius potest consensus, nisi & altera pars assentiatur.

2. Omne, quod sub commercium venit, & natura sua pretio pecuniario æstimabile est, potest vendi, modo leges Ecclesiæ aut Principis non obstant. Sic vendi possunt 1. Bona mobilia & immobilia, aliæve res corporeæ. 2. Debita activa, servitutes activæ, omniaque jura in corporea. 3. Res futuræ, ut fructus ex fundo percipiendi, aut animalia ex grege nascitura. 4. Ipsa spes rei incertæ vendi potest, ut pices ex jactu retium capiendi, vel præda ex venatione obtinenda.

3. Venditio rerum, quæ numerantur, mensurantur, aut ponderantur, si minutatim vendantur, non perficitur, nisi completa enumeratione, mensuratione ac ponderatione; suspensaque interea manet venditio.

4. Generaliter loquendo quævis pars aut accessorium rei venditæ censetur vendita cum ipsa re, nisi expresse aliud fuerit stipulatum in contractu. Nihilominus dantur quædam accessoria, quæ non ingrediuntur contractum venditionis, ut apparatus equi sine omni apparatu venalis expositi.

5. Contractus venditionis triplicem complectitur obligationem. Prima est, quam ipsis imponunt contrahentes, consistitque in pactis, conditionibus, clausulis &c. in contractu expressis. Secunda est, quæ connaturaliter ad venditionem consequitur, sive exprimat, sive non. Tertia est, quam statuit lex, aut consuetudo loci.

6. Prima obligatio venditoris est, ut soluto sibi pretio emptori tradat rem venditam, eamque integram. Quando venditor non tradidit rem venditam loco & tempore constituto, tenetur emptori ad damnum & interesse. Pariter tenetur venditor, qui nondum tradidit rem venditam, sollicite invigilare pro conservatione ejusdem usque ad integram traditionem, imo majorem adhibere curam quam pro bonis suis propriis. Si vero sine impensis rem venditam conservare non posset, eas compensare teneretur emptor. Quando venditori res vendita retinenda, aut repetenda est ob defectum solutionis, & ejusdem pretium interea fuit diminutum, jure ab emptore

exigit indemnitate. Si uterque contrahens est æqualiter in mora, unus in tradenda re, alter in recipienda, dum offeratur a venditore, emptor non habet jus conquerendi. Si vero emptor rem petat, & venditor non ita eam tradere, res perit aut deterioratur venditori. Traditio vere tunc fieri dicitur, dum venditor eo in statu emptorem constituit, ut rem venditam possideat, eaque frui possit. Si venditor eandem rem vendidisset duobus & eisdem emptoribus, ille præferendus foret, qui prius in rei possessionem venit.

7. Contractus venditionis varias admittit conditiones ac clausulas. Quando completio venditionis pendet ab eventu conditionis appositæ, venditor manet rei dominus usque ad positionem conditionis; sed completa venditione emptor, etsi stipulatum fuerit, venditionem rescissum iri in eventu cujusquam conditionis, est dominus rei & omnium fructuum ejus usque ad eventum illius conditionis; & ex hac ipsa ratione res pertinet emptori.

8. Mutatio superveniens rei ante perfecte completam venditionem suo damno vel lucro pertinet ad venditorem; quæ autem supervenit rei post completam venditionem, afficit emptorem, etiamsi res ipsi nondum fuisset tradita.

9. Quando in venditione apposita fuit conditio in favorem unius contrahentium, aut saltem eidem prodesse possit, eventus ut hujus conditionis pendeat ab altero contrahente, hic absque injustitia impedire non potest eventum hujus conditionis, ut inae fructum capiat. Contrahentes semper tenentur ad literam exequi contenta in contractu.

10. Minorenes, amentes, interditi, & quicumque res suas administrare prohibentur, non possunt vendere. Idem dicendum de usufructuario & hærede, cujus res alteri substituitur, nisi conveniat cum emptore, ut requisitus rem restituat illi, ad quem pertinebit.

11. Tutor, curator, aut quisvis alius administrator non potest emere rem minorensis, pupilli, aut alterius, cujus bona administrat.

12. Venditio, cui intervenit error, est nulla: non tamen per se est nulla, si error tantum respicit qualitatem rei; id quod iudicis est decidere. Multo magis nulla est venditio dolo, vi, aut metu gravi extorta.

13. Iudex haud facile declarat venditionem nullam, nisi interveniente læsione ultra dimidium.

14. Venditor in nullo unquam casu, etiamsi intervenisset expressum pactum, liberatur ab obligatione præstandæ cautionis de proprio facto.

15. In casu evictionis emptor habet jus petendi solutionem impensarum utilium & necessariarum, quas in meliorationem rei fecit, deductis tamen fructibus ex hac melioratione perceptis. Si fructus percepti excederent rationem impensarum, hæc forent extinctæ: verum excessus ejusmodi bona fide perceptus ante evictionem intentatam emptori manet acquisitus.

16. Si emptor rem evinci patiatur, quin se defendat, aut actionem sibi intentatam denunciaret venditori; aut si propria auctoritate transigat cum evincente; aut alio modo in præjudicium venditoris agat, sibi met ipsi imputare debet evictionem, venditorque ad nullam tenetur cautionem. Verum si emptor solummodo insinuet venditori actionem evictionis sibi intentatam, liber est ab obligatione se defendendi, onere defensionis in venditorem relabente.

17. Si venditor in re vendita scivit vitium, quod usum rei venditæ aut omnino reddit inutilem, aut saltem ita difficilem, ut emptor non emisset rem, aut non nisi pretio minore, si scivisset vitium, hic potest agere contra venditorem, ut venditio declaretur nulla, aut saltem petere indemnitate. Idem dicendum, etiamsi tale vitium fuisset incognitum venditori. Si venditor novit vitium, aut saltem nosse debuisset, emptorique exinde damnum fuit illatum, venditor non solum tenetur recipere rem venditam, aut ejusdem pretium diminuere, sed etiam cavere de omnibus damnis imposterum inferendis.

18. Quando locum habet redhibitio, venditor pretium acceptum restituere debet, & emptori compensare omnes impensas in conservationem rei venditæ factas, & resarcire omnia, quæ ex venditione consecuta sunt, imo etiam solvere interesse, si quodpiam exigere possit emptor: hic vero tenetur reddere rem emptam venditori cum omni lucro ex ea percepto.

19. Melioratio aut deterioratio superveniens rei absque culpa emptoris unice respicit venditorem. Si vitium rei ita est evidens, ut illud ignorare non potuerit emptor, aut ipsi a venditore declaratum fuisset, emptor non potest in iudicio agere contra venditorem. Verum hæc omnia tantum intelligenda sunt de venditionibus inter privatos, non de venditionibus auctoritate iudicis factis.

20. Dominus rei quandoque judicialiter potest cogi ad venditionem ejusdem. Sic potest quis cogi ad vendendum fundum in favorem creditorum suorum; vel per viam licitationis, dum fundus dividi nequit inter plures hæredes; vel

quando fundus necessarius est pro bono publico. Sic etiam cogitur quispiam privatus ad vendendum alteri usum partis sui fundi, videlicet cum duo prædia contigua duobus obtigerunt in partem, ita ut alter suo gaudere nequeat, nisi transendo per alterius fundum, hic tenetur illi hanc servitutem vendere.

CASUS I. Fabius possidet fundum a quodam cognato sibi legatum una cum substitutione in favorem suorum liberorum. Illi in urgente necessitate constituto sese offert amicus quidam ad emendum fundum legatum, non obstante substitutione. Potestne Fabius fundum vendere tuta conscientia?

ꝛ. Cum Fabius tantum habeat usumfructum fundi sibi legati, utpote substituti suis liberis: non potest illum vendere, Leg. *Sancimus fin.* Cod. Lib. 4. Tit. 51. Si nihilominus Fabius fundum vendidisset, liberi ipsius possent illum repetere; neque tenerentur ad ullam indemnitate præstandam emptori. *Pontas.*

CASUS II. Eparchius curator Constantini minorensis vendidit villam ad hunc minorennem pertinentem cum ipsius consensu. Conventum fuit, ut pretium villæ non solveretur, antequam Constantinus majorennitatem attigisset, & interea annuus Constantino census præstaretur. Estne valida hæc venditio:

ꝛ. Illi solum, qui sunt sui juris, possunt alienare res suas. Hinc venditio hujus villæ est nulla, nisi observatæ fuerint formalitates a legibus præscriptæ. Nihilominus conditio adjuncta de solvendo annuo censu juxta Navarrum L. 5. Consil. 21. n. 2. non est injusta, nec usuraria. *Pontas.*

CASUS III. Sigonius tutor Theogenis ab Herculo in iudicium vocatus pro solutione 1000. florenorum illi debitorum, Herculo privata sua autoritate vendidit fundum ad Theogenem pertinentem, ut illum liberaret debito, & litem evitaret. Hercules sex annorum spatio hoc fundo usus, quolibet anno 100. florenorum lucrum fecit, facta deductione expensarum in agrorum culturam & fructuum collectionem adhibitarum. Theogenes factus majorensis revocat fundum, oblata Herculo emptori & creditori suo summa quadringentorum florenorum numeratæ pecuniæ, præteritque, lucrum sexcentorum florenorum per sex annos aquifitorum principali summatæ esse accensendum, fortiter autem se opponente Herculo. Quisnam horum potiori jure gaudet?

ꝛ. Jure repetit fundum Theogenes: nam Sigonis non erat dominus fundi venditi: & hinc ista venditio non nisi pro simplici obligatione consideranda est; fructusque ab Herculo percepti in sortem principalem computari debent. *Si*

quis,

quis, inquit Alexander III. Cap. Plures 1. Lib. 5. Tit. 19. alicujus possessionem data pecunia sub hac specie vel conditione in pignus acceperit, si sortem suam deductis expensis de fructibus jam percepit, absolute possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio libere ad dominum revertatur. Pontas,

NOTA. Videtur ejusmodi venditiones bona fide initas tractari posse in sitar locationis.

CASUS IV. Nicolaus pauper rusticus habet exiguum domum ducentis circiter florenis æstimatam, & duorum jugerum æqualis valoris pomarium muro circumdatum, & agris Renati divitis viri contiguum. Renatus hos sibi fundos vendi postulat, pro quibus autem Nicolaus sexcentos florenos petit, licet sciat, justum eorundem pretium esse quadringentos florenos. Renatus etiam solvit petitam summam. Potestne Nicolaus tuta conscientia hos fundos vendere pretio una tertia parte justum valorem excedente?

ꝛ. Potest: æquum enim est compensationem damni querere, quod quis incurrit, dum per alienationem se privat re sua. Quamvis res vendita in se considerata minoris sit pretii, ac venditur; plus tamen valet considerata necessitate illius, qui per venditionem eam alienat in gratiam emptoris sollicitantis. *Cum aliquis, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 2. C. multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat, in tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quæ eicitur; sed ad damnum, quod venditor venditione incurrit, & sic licite poterit aliquid vendi plus, quam valeat habenti.* Observat tamen Sylvius, aliud dicendum fore, si venditor ex venditione nullum prorsus pateretur detrimentum; vel si rerum suarum angustia pressus teneretur fundum vendere. *Pontas.*

CASUS V. Albertus vendit, traditque domum Jacobo, hac clausula in contractu expressa, ut venditio nulla sit, & quasi non facta, si Jacobus intra tres menses pretium non persolvat. Cum Jacobus elapso termino totam in promptu non haberet pecuniam, venditor, quem domum vendidisse aliunde poenituit, adjunctæ clausulæ prætextu usus, domum repetit. Teneturne Jacobus in conscientia Alberto restituere domum?

ꝛ. Tardior executio conditionis contractui appositæ non statim dissolvit venditionem; sed iudicis est solutionem pronunciare. Leg. *Cum venditor, 2. ff. Lib. 18. Tit. 3.* Eo usque ejusmodi clausula solum respicienda est tanquam comminatoria, & ut talis consideratur in omnibus tribunalibus: æqui-

æquitas enim naturalis videtur exposcere, ut emptori indulgearur rationabilis dilatio, si pretium venditionis præcise solvere non possit tempore convento. Excipiendus tamen casus, quo dilatio vergeret in grave damnum venditoris. *Pontas.*

CASUS VI. Cleonius verbaliter vendidit Cajo adamantem pro summa 500. florenorum, ea conditione, ut Cajo intra octo dies pretium persolvat, & venditio nulla sit, idni faceret, Cajo dat interim Cleonio in arham pro securitate promissi quindecim florenos. Verum plures ultra definitum terminum dies abiere, & conditio non fuit impleta. Hinc Cleonius recusavit illi adamantem tradere, pro eo recipere pretium, & arham restituere. An non ista Cleonii recusatio est contra iustitiam, præsertim quoad arham quindecim florenorum?

3. Juxta Cabassutum L. 6. c. 9. n. 10. in hoc contractu intervenit conventio, quæ in jure vocatur *Pactum legis commissoria*; & secundum leges Cleonius potest recusare Cajo tam adamantem, quam oblatum post lapsum termini pretium, immo & arham, quam iuste perdit emptor, sua culpa non implens conditionem in contractu stipulatam. *De lege commissoria interrogatus ita respondit, si per emptorem factum sit, quo minus legi pareretur, & ea lege uti venditor velit, fundos inemptos fore, & id, quod arrhae vel alio nomine datum esset, apud venditorem remansurum.* Leg. De lege. 6. ff. Lib. 18. Tit. 3. *Pontas.*

CASUS VII. Cyrillus emit a Paschali vineam per violentiam ac fraudem dimidio minoris, ac iustus ejusdem valor erat. Paschalis occasionem nactus rescindendi contractum, postulat sibi restitui omnes fructus a tempore emptionis perceptos. Potestne iudex condemnare Cyrillum ad restitutionem fructuum?

3. Æquum non est, ut Cyrillus ex violentia aut fraude sua lucrum ferat. *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiozem.* Leg. Jure. 206. ff. Lib. 50. Tit. 17. Hinc Cyrillus absque omni injustitia potest condemnari ad restitutionem fructuum. *Pontas.*

CASUS VIII. Ignatius architectus, domum a Mævio levi pretio empturus, persuadet illi, domum infirmis nixam fundamentis minari ruinam, Mævius necessariis domum reedificandi subsidiis destitutus, condixit Ignatio venditionem pro summa 5000. florenorum; etsi cognita Ignatii mala fide domum omnino non vendidisset, aut non nisi pro 7500. florenis. Estne valida hæc venditio? An non Ignatius in conscientia

scientia tenetur desistere a contractu, aut Mævio compensare damnum?

3. In hoc venditionis contractu intervenit error antecedens, dans causam contractui, & consequenter excludens consensum venditoris juxta legem. *Non idcirco. 9. Cod. lib. 1. Tit. 18.* Et ex hac sola ratione nulla redditur venditio. Præter errorem in hoc contractu concurret etiam dolus, qui vera contractus causa existit. Et ideo Ignatius in conscientia tenetur renunciare contractui aut Mævio compensare damnum. *Pontas.*

CASUS IX. Quid dicendum, si error & dolus tantum fuissent concomitantes: v. g. si Mævius domum publice venalem exposuisset, & Ignatius eam minoris empturus illi persuasisset, domum multo magis defectuosam esse, ac revera fuerit. Estne validus contractus iste? An Ignatius in hoc casu non teneretur ad aliquam indemnitate Mævio præstandam?

3. Cum hic error concomitans, vel ejusmodi dolus non sit vera ac genuina causa contractus, dicendum est, nihil obstare, quo minus contractus valeat. Nihilominus teneretur Ignatius in conscientia Mævio solvere supplementum justipretii. *Si vero (dolus) incidit in contractum, ait Author Glossæ in cap. Cum dilecti. 3. de empt. & vend. quia venditurus eram, sed per dolum tuum minus vendidi, vel per dolum meum plus emisti, tenet quidem contractus; sed agitur ad supplementum residui.* *Pontas.*

CASUS X. Chrysológus mercator spiritum vini minutim & cumulativè vendere solitus, habet hujusmodi spiritum vini fortem & præstantem, cui quintam vel sextam circiter partem aquæ communis immiscet, ita, ut hæc mixtio sensibilibiter illum non debilitet, nec facile possit animadverti. Potestne sine obligatione restituendi spiritum vini sic alteratum vendere pro spiritu vini puro?

3. Quamvis juxta D. Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. C. Chrysológus aquam puram vendendo pro spiritu vini fraudem committat, peccatque se reum constituat, ac ad restitutionem obligetur; videtur tamen a peccato excusari posse, si spiritum vini sic alteratum vendat infra illud pretium, quo venditur spiritus vini purus, pretiique diminutio factæ mixtionis sit proportionata. Nihilominus tutius est juxta S. Antoninum 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 17. §. 4. ejusmodi mixtiones omittere, etiam si pretium diminuatur. *Pontas.*

CASUS XI. Joachimus mercator lanæ solebat lanam suam in loco humido asservare, ut majus pondus attrahat, & amplius ex ea lucrum capiat. Peccatne contra iustitiam?

3. S.

β. S. Antoninus 2. part. Sum. Theol. Tit. 1. c. 17. §. 5. condemnat ejusmodi praxin tanquam injustam & fraudulentam: venditur enim tali modo res falso pondere, & emptor non amplius reperit eodem pondus, sub quo a venditore ipsi tradita est. Idem dicendum de iis, qui vendunt falsa mensura, quos pariter S. Thomas condemnat 2. 2. q. 77. art. 2. C. *Pontas*

CASUS XII. Anthimus mercator asservat in sua taberna multos pannos nigri coloris, quos ob acrem nimis tincturam scit esse defectuosos; quod tamen a nemine potest adverti, nisi quis tali panno utatur. Nihilominus ulnam huius panni eodem vendit pretio, ac illius, qui optime tinctus erat: ait enim, defectum tincturæ ad se non pertinere, & aliunde moris esse, ut merces bonæ commisceantur deterioribus. Peccatne in hoc casu? & num obligatur ad aliquam restitutionem?

γ. Hæc ipsa secundum S. Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. C. tertia species fraudis est, qua non raro utuntur mercatores. Praxis hæc injusta est, talesque mercatores tenentur compensare damnum iis, qui emunt ejusmodi merces defectuosas, si ipsis vendantur eodem pretio, quo merces bonæ. *Tertius defectus (in venditione) est ex parte qualitatis, inquit S. Doctor, puta si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum; quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione; unde est illicita venditio; & in omnibus talibus non solum aliquis peccat, injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Pontas.*

NOTA. Hæc vera sunt, si venditor sciat, defectum mercis, & si defectus sit tantus, ut pretium, quo venditur res defectuosa, etiam summum notabiliter superet. Vide cas. 26. 27. 30.

CASUS XIII. Hipparchus pannorum propola vendidit Sosteni unam coccinei panni compacturam, cujus duas ultimas ulnas sciebat non esse coloris adeo vivi, nec adeo pulchri, quam priores. Occultavit autem hunc defectum Sosteni, metuens, ne forte a venditione desisteret; sed tamen diminuit illi pretium, defectuosæ tincturæ proportionatum. Num peccavit?

β. Juxta D. Thomam Quodlib. 2. art. 10. C. nullum Hipparchus commisit peccatum occultando Sosteni defectum panni, dummodo pretium diminuerit. Nihilominus, si in casu proposito pannus ad debitum usum ab emptore applicari non potuit, sicque emptori damnum illatum fuit, mercator non obstante, quod pretium duarum defectuosarum ulnarum diminuerit, illud reparare, aut defectuosas ulnas pro justo pretio recipere tenetur. *Pontas.*

CA.

CASUS XIV. Samuei vendidit Laurentio fundum suum pro pretio decies mille florenorum, exceptis duabus sylvis, quas sibi reservavit. Laurentius ex commissione a Samuele sibi data instrumentum contractus confecerat, in quo duæ sylvæ proprio suo nomine expressæ, ac exceptæ fuerant, persolutisque Samuelli 10000. florenis, & contractu ab utraque parte signato possessionem fundi adiit, illumque duorum annorum spatio possedit. Paulo post Samuel, qui exacta satis de fundo suo notitia instructus non erat, comperit, exiguam adhuc superesse sylvam pretio 500. florenorum æstimatam, in contractu tamen non expressæ exceptam, cujus neque Laurentius notitiam habuit. Quare Samuel conqueritur, a Laurentio se esse deceptum, præterens, hanc tertiam silvam ad se pertinere. Laurentius econtra defendit, silvam hanc una cum reliquo fundo venditam fuisse, eoquod in contractu tantum duæ sylvæ nominatim exceptæ fuerint: ut tamen ostendat, se bona fide egisse, consentit in resolutionem contractus, si Samuel intra terminum trium mensium restituat decem florenorum millia. Terminus hic exspiravit, quin Samuel persolutam sibi summam restituerit. Potestne Laurentius silvam hanc una cum fundo retinere tuta conscientia?

γ. Cum nullus ex parte Laurentii dolus intervenerit, nec memorata silva in contractu nominatim excepta fuerit, Laurentius non tenetur Samuelli de supplemento, & Samuel sibi ipsi imputare debet, quod exiguam adeo de fundo suo notitiam habuerit. Quapropter, si hanc ob causam quidquam damni patitur, ipsi soli ferendum est, non emptori, juxta regulam juris 86. in 6. *Dammum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare. Accedit, quod possessio semper favorabilis sit bona fide possidenti. Pontas.*

CASUS XV. Julius possidebat domum, quam minari ruinam existimabat, eoquod multæ scissuræ apparerent, quæ tamen tantum ex parte gypsi se tenebant, quo muri obducti erant. Vendidit hanc domum Luciano pro tribus florenorum millibus. Uno mense post factam venditionem peritus quidam architectus erroris originem detexit, dixitque Julio, domum ad minimum valere septem florenorum millia, sequere paratum esse ad solvendum tale pretium, si velit rescindere venditionem cum Luciano initam. Potestne Julius tuta conscientia procedere contra Lucianum, & rescissionem contractus ab eo postulare?

β. Leges in simili casu permittunt rescissionem venditionis. *Leg. Rem majoris. 2. Cod. Lib. 4. Tit. 44. sic dicitur: Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus, fundum*

86.

venundatum recipias, auctoritate iudicis intercedente: vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit. Rescissa igitur semel venditione Julius tuta conscientia poterit redire in possessionem suæ domus. Pontas.

CASUS XVI. Amandus librarius habet tres tomos libri admodum rari quatuor voluminibus impressi, pro quibus curiosus quidam offert tres dupliones, & quærens quartum volumen, illud tandem reperit apud alium librarium; qui sciens, emptorem tribus tomis jam esse instructum, sequens ingens posse lucrum recipere ex quarto tomo, pro eo petit sex florenos, quamvis liber a reliquis separatus plus non valuerit, quam duos florenos cum dimidio. Potestne in his circumstantiis secundus librarius tanti vendere volumen separatum?

R. Videtur, quod non: vendit enim hac ratione rem ad se non pertinentem, utilitatem scilicet alterius, absque eo, quod possit obtendere aliquod damnum proprium. Injuste igitur exigit pretium adeo excessivum pro separato hoc volumine. Addit tamen D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. C. *Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare; quod pertinet ad ejus honestatem. Pontas.*

CASUS XVII. Josephus & Claudius habent horologia repetitoria, in omnibus perfecte æqualia, quorum quodlibet 25. duplionebus conficit. Jacobus famulus Claudii perdit horologium domini sui, rogatque Josephum, ut suum sibi vendere velit, in locum perditum substituendum, cum aliud medium non haberet evitandi indignationem domini sui. Verum Josephus hac occasione lucraturus petit pro suo horologio 35. dupliones; quamvis absque ullo incommodo aut damno eo se privare posset. Potestne tuta conscientia tantum exigere pretium?

R. Cum justus horologii valer non excedat 25. dupliones, Josephus non potest necessitatem Jacobi in suum lucrum convertere. S. Thomas q. 13. de malo art. 4. ad 7. ejusmodi venditionem tanquam injustam condemnat. Item Opusc. 73. c. 9. ait S. Doctor: *Res tantum juste valet, quantum sine fraude vendi potest. Pontas.*

CASUS XVIII. Cosmas vendidit Clementi domum pro summa 5000. florenorum. In contractu statuitur, ut Cosmæ jus reservetur dissolvendi contractum casu, quo alius 6000. florenos intra duos menses offerre vellet. Uno tamen mense fulmen domum penitus consumpsit. Cuiam ferendum est damnum?

R. Dam.

R. Damnum ferendum est Clementi: verus enim erat possessor domus, qua expelli non poterat, nisi quidam tertius stipulato tempore sex florenorum millia obtulerit venditori, quæ oblatio facta non est; hinc in quieta domus possessione erat. Leg. *Quoties. 2. ff. init. & §. 1. Lib. 18. Tit. 2. Pontas.*

CASUS XIX. Isaacus die decimo Aprilis vendidit Petro lanam gregis ovium, ea conditione, ut decimo Julii sequentis traderetur, &, id ni fieret, venditio resoluta sit. Isaacum pœnituit contraxisse; & hinc lanam tradere omittit. An nulla evadit venditio?

R. Isaacus non debet lucrum reportare ex eo, quod adjectam clausulam in præjudicium Petri exequi omiserit: non enim censetur clausula resolutoria adjecta fuisse in favorem Isaaci. Quod favore quorundam constitutum est, ait Lex Quod favore. 6. Cod. Lib. 1. Tit. 14. *quibusdam casibus ad laesionem eorum nolumus inventum videri.* Alias ille, qui posset quidquam commodi per conditionis executionem obtinere, eo privaretur per malam fidem alterius. *Pontas.*

CASUS XX. Otto vendidit mense Octobri sex modios frumenti Philiberto in necessitate constituto, ea conditione, ut anno sequente eodem mense summum persolvat pretium quo tunc frumentum vendetur. Etsi licitus hic venditionis contractus?

R. Contractus hic est illicitus & reprobatus a sexto Concilio Parisiensi de anno 829. An advertendum tamen est, quod, si Otto sincere & absolute decrevisset frumentum suum asservere usque ad mensem Junium vel Julium, quo anni tempore ordinarie carius solet vendi frumentum, nec voluisset citius vendere, absque injustitia illud vendere posset Philiberto eodem fere pretio, quo tunc constaret; facta tamen aliqua diminutione pretii juxta judicium viri prudentis. Vide *Cas. 35. Pontas.*

CASUS XXI. Josias vendidit Ægidio quinquaginta frumenti modios in horreum suum avehentos. Conventum est inter contrahentes, ut Ægidius frumentum intra unius mensis spatium mensuraret, & secum asportaret. Quindecim diebus post initum contractum frumentum notabiliter fuit deterioratum; quo cognito Ægidius recusat factam cum Josia partionem exequi, nec vult solvere plus, quam partem tertiam stipulati pretii.

R. Ægidius non tenetur recipere frumentum, nec solve-
re emptori conditum pretium: in rebus enim, quæ venduntur in numero, pondere, aut mensura, venditio non censetur esse perfecta, nisi postquam res fuerint numeratæ, pon-

deratæ aut mensuratæ. *Sabinus & Cassius tunc perfici emptio-
nem existimant, Leg. Quod scæpe. 35. §. 5. ff. Lib. 18. Tit. 1.
Cum adnumerata, admensa, adpenſave sint; quia venditio quasi
sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in
singulos modios, quos, quasve admensus eris; aut in singulas
libras, quas adpenderis; aut in singula corpora, quæ admu-
neraveris. Pontas.*

CASUS XXII. Lucius vendidit Sebastiano duos boves
cum expressa stipulatione, ut intra octiduum eos traderet
emptori, quod tamen Lucius ex mera negligentia integro
prope mense distulit. Tandem eos tradit, quos tamen emp-
tor adhuc per triduum recipere neglexit. Quarto die unus
bovum perit. Num jactura Sebastiano ferenda est?

ꝛ. Quando solus venditor est in mora rem venditam con-
dicto tempore tradendi, sibi ipsi imputare debet damnum su-
perveniens. Verum quando etiam emptor est in mora rem,
dum adhuc est integra, recipiendi, damnum ferendum est
illi, qui ultimus in mora fuit. *Sane hoc casu nocere debet
emptori, si per emptorem mora fuisset, ait Lex Illud. 17. ff.
Lib. 18. Tit. 6. Deinde, cum omnia in integro essent; vendi-
tor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere; æquum est,
posteriorem moram venditori nocere. Pontas.*

CASUS XXIII. Endemus vendit equum suum Romano,
illumque intra tres dies tradere promittit pro summa 100.
floreorum, si servus domesticus pro alio emendo missus alium
equum adduceret. Biduo post factam venditionem equus
morte naturalis perit, & duabus post horis servus cum alio
equo revertitur. Teneturne Romanus solvere centum flo-
renos?

ꝛ. In venditione sub conditione facta, si res vendita pe-
rit ante stipulatæ conditionis impletionem, jactura recidit in
venditorem. *Leg. Plerumque. 10. §. 5. ff. Lib. 23. Tit. 3. Item
Leg. Hæc venditio. 7. ff. Lib. 18. Tit. 1. habetur: Conditiona-
les autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit con-
ditio. Hinc Romanus non tenetur solvere centum florenos.
Pontas.*

CASUS XXIV. Ghibertus duos equos Martiali vendidit,
& ambo contrahentes in æquali mora sunt, hic in receptio-
ne, & ille in traditione equorum; cum altero mox post ini-
tium contractum die uterque delitiosum iter instituisset, intra
quod tempus equi perierunt. Cuiam ferenda jactura? emp-
tori vel venditori? an utrique simul?

ꝛ. Quando traditio rei venditæ retardatur ex parte & cul-
pa venditoris & emptoris simul, & interea res perit, emptor
non habet jus agendi contra venditorem; cum ipsemet negli-
gen-

gentiæ reus sit. *Non enim potest videri mora per venditorem
emptori facta esse, ipso moram faciente emptore Leg. Si & per.
51. ff. Lib. 19. Tit. 1. Hinc foli Martiali ferenda est jactura
duorum equorum. Pontas.*

CASUS XXV. Juvenalis vendidit Ludovico equum
suum, eumque ipsi tradidit ad capiendum experimentum.
Conventum est, ut, si capto per octiduum experimento e-
quus arrideret Ludovico hic solvat quindecim dupliones.
Equus autem post quique aut sex dies in equili Ludovici
fulmine necatus est, & juvenalis exigit a Ludovico pre-
tium equi.

ꝛ. Ludovicus non tenetur Juvenali solvere pretium e-
qui: neque enim ad id obligatur ut depositarius, qui nun-
quam tenetur de casu mere fortuito, ut est interitus per sul-
men illatus; neque obligatur ex emptione, quæ necdum
completa esse censetur. *Leg. Apud. 20. §. 1. ff. Lib. 19. Tit. 5.
Pontas.*

CASUS XXVI. Nicomedes negotiator equorum vendit
Bartholomæo equum dari oris, aut meticulosum pro 20.
floreis: equus tamen, si huic defectui non esset obnoxius,
valeret 80. florenos. Peccatne non declarando emptori de-
fectum equi?

ꝛ. Peccaret Nicomedes contra iustitiam & veritatem, si
equum absque omni defectu esse asseveraret. Verum cum
Bartholomæus non petierit informationem de qualitatibus
equi, Nicomedes non tenetur ei manifestare defectum ejus-
dem. Si tamen equus occulto laboraret defectu, propter
quem inutilis redderetur vel nocivus Bartholomæo, Nico-
medes teneretur illatum ipsi damnum compensare, non ob-
stante diminutione pretii. *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. C.
Pontas.*

CASUS XXVII. Camillus vendit Herculi equum mono-
culum pro pretio 75. florenorum. Hercules putabat, equum
utroque valere oculo. Teneturne Camillus ad aliquam resti-
tutionem, cum defectum non declaraverit Herculi, qui cer-
te equum non emisisset, aut saltem defectu explorato non plus
quam 50. florenos solvisset?

ꝛ. Si pretium, quo Camillus equum vendidit, fuit ju-
stum, juxta S. Thomam ad nullam tenetur compensationem
Herculi, qui sibi ipse imputare debet, quod in vitia equi
studiose inquirere neglexerit. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Darius vendidit Publio equum debiles
habentem oculos pro summa 50. florenorum, quod iustum
ejusdem erat pretium, non obstante defectu. Sed Publius,
qui & ipse visu vix pellebat, credidit equum nulli obno-

xium esse vitio. Monitus autem postea ab aliis de defectu equi, petit a venditore, ut equo recepto pretium restituat, vel saltem damnum resarciat. Obligatorne ad id Darius in conscientia?

R. Darius obligatur in conscientia ad equum recipiendum, & reddendos Publico decepto 50. florenos, vel ad conveniendum cum eo de rationabili damni compensatione: licet enim defectus equi fuerit manifestus, ut talis tamen considerari non potest respectu Publici. Si emptor, inquit Sylvius in 2. 2. q. 77. art. 3. nequiverit vitium advertere, utpote cæcus aut visu debilis, vel si venditor interrogatus de defectu, etiam manifesto, eum occultavit, injustus est contractus. Pontas.

CASUS XXIX. Joannes vendidit Jacobo amicorum intimo equum notabiliter claudum. Hic equum in equili vidisse contentus, ob habitam erga venditorem confidentiam non explorat illius vitia, licet peritus admodum esset equorum æstimator. Sciebat Joannes, equum a Jacobo tantum emi pro itinere faciendo, & ad eum finem fore inutilem. Tenerne in conscientia Jacobum monere de hoc defectu equi?

R. Satis clare patet ex pluribus legibus, & ex doctrina D. Thomæ, peccare Joannem contra charitatem, si defectum hunc emptori non detegat; & Sylvius l. c. Concl. 4. bene dicit, venditorem teneri in hoc casu monere emptorem de equi vendendi defectu, & id ni faciat, eum peccare graviter, etiam contra justitiam, si emptor exinde damnum patiat. Pontas.

CASUS XXX. Hercules vendit Claudio equum laborantem vitio nervorum pro 100. florenis loco 150. quibus constaret sine hoc defectu. Claudio quærenti, utrum equus non sit defectuosus, respondet Hercules, se id non asserere, seque vendere equum talem, qualis est. Non obstante hac responsione contractus perficitur. Claudius autem post ostiduum advertens defectum equi, petit ab Herculo, ut suum recipiat equum, aut se indemnem præstet.

R. Quamvis vitium nervorum non comprehendatur in tribus casibus, qui vocantur redhibitorii, & sunt *Asphma, mucus, obstructio*, nihilominus responsio ab Herculo data Claudio non potest illum coram Deo excusare ab obligatione reparandi damnum ex eo illatum Claudio, quod defectum celaverit, qui ex sola equi inspectione cognosci non poterat. Si vitia rei, quæ vendenda proponitur, sunt occulta, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. ad 1. nisi per venditorem manifestentur, non sufficienter committitur emptori iudicium; secus autem esset, si essent vitia manifesta. Verum, si venditorem ipsum latebat defectus iste, non teneretur ad ullam indemnitate emptori restitendam. Pontas.

CA-

CASUS XXXI. Gastonius vendidit Paulo equum, qui intestino laborabat morbo, aut qui difficilis erat anhelitus. Paulus intentat Gastonio actionem, ut ad equum recipiendum, & reddendum persolutum pretium condemnaretur. Sed pendente lite equus perit. Cuinam illorum ferenda est iactura?

R. Cum defectus equi locum dederit redhibitioni, equus perit venditori. *Facta redhibitione, ait Lex facta. 60. ff. Lib. 21. Tit. 1. omnia in integrum restituantur, perinde ac si neque emptio neque venditio intercessit. Pontas.*

CASUS XXXII. Eduardus vendidit Justino sex equos rhedarios pro summa 600. florenorum, quos in numerata accepit pecunia. Unus equorum erat nimium mucosus, vel difficulter anhelans. Justinus agit contra Eduardum, ut ad recipiendos omnes sex equos, & reddendos 600. florenos condemnaretur. Eduardus vero solum ad recipiendum equum defectuosum, & reddendum proportionatum eiusdem pretium se teneri existimat. Quid juris?

R. Quando inter plures res invicem conjunctas, ut sunt equi rhedarii jugales, in una defectus invenitur ad resolvendum venditionis contractum sufficiens, de tota re venditio rescindi potest; cum æqualiter inter sit, tam venditoris quam emptoris, ne ejusmodi res sejungantur. *Cum autem jumenta paria veniunt, habetur Leg. Adiles. 38. §. 14. ff. Lib. 21. Tit. 1. ad id expressum est, ut, cum alterum in ea causa sit, ut redhiberi debeat, utrumque redhibeatur; in qua re tam emptori quam venditori consulitur, dum jumenta non separantur. Simili modo est si trigæ venierit, redhibenda erit tota: est si quadriga, redhibeatur. Hinc Justinus bene agit ad rescindendum ex integro contractum. Pontas.*

CASUS XXXIII. Demetrius vendit Sempronio domum pro pretio 14000. florenorum. Emptor solvit in numerata pecunia 4000. florenos, in contractu se obligans ad solvendum Demetrio singulis annis 500. florenos, donec residua summa 10000. florenorum fuerit persoluta, sub ea conditione, ut ad integram summam solvendam compelli non possit, quamdiu annuam summam persolveret, & ut sibi liberum sit integram summam persolvere, quando voluerit, dummodo Demetrius sex mensibus ante monerit. An non contractus iste vitiosus est?

R. Hic contractus est legitimus; quia conditiones appositæ tanquam comparis constituunt pretium domus. Pontas.

CASUS XXXIV. Nicostratus emit a Rege Senatoriam dignitatem in Parlamento Burdegalensi pro summa 17500. florenorum. Camillus hanc sibi dignitatem comparaturus Nicostrato postredie, cum ejusdem possessionem cepisset, pro

ea offert 20000. florenos. Potestne Nicostratus tata conscientia hoc lucrum percipere ex revenditione dignitatis?

3. Pretium alicujus dignitatis in primum emptorem translatae, semper minus esse solet, quam ubi transit ad secundum. Hinc Nicostratus tata conscientia potest hoc lucrum percipere revendendo dignitatem. *Pontas.*

CASUS XXXV. Germanus famosus ac dives frumenti negotiator; non ignarus, quinque aut sex alios ejusmodi negotiatores certo nundinarum die multum frumenti in civitatem advekturos, ubi majori constat pretio, apte disposuit, ut frumentum suum tribus horis ante eo deferretur. Potestne illud vendere pro currente eo die pretio, quin teneatur emptores monere de asportanda paucas intra horas frumenti copia, & consequenter instante diminutione pretii?

3. Videtur, posse Germanum hac occasione ex industria sua lucrum percipere, vendendo frumentum suum eo pretio, quo actualiter eadem hora, qua advenit, vendebatur; quin teneatur declarare emptoribus, magnam adhuc copiam fore subventuram. Ita S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4. Eandem sententiam amplectitur Cajetanus una cum Sylvio in citatum art. 3. Hic quatuor hanc doctrinam rationibus probat, quarum praecipua haec est; Mercator, qui certo novit, quoddam genus mercium ob suam raritatem brevi ascensurum ad summum pretium, non tenetur modo in conscientia eas merces emere ampliori pretio, quam modo currente; quod evidens est ex exemplo Josephi in Agypto; ergo etiam ille, qui praevidet pretium rerum brevi fore imminuendum, non tenetur eas vendere minori, ac actu currit, pretio. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Diogenes mense Septembri triginta frumenti scaphas venales habet; sed quia scapha tunc non pluris constabat quam 10. florenis, & ipse non indigeret pecunia, statuit illud frumentum aservare usque ad sequentem mensem Junium, ubi carius vendi solet. Antonius urget illum ad trium scapharum venditionem, & pretium ad festum S. Joannis se persolaturum spondet. Diogenes vendit illi tres scaphas pro 40. florenis sub praetextu, quod prorsus appareat, se idem aut majus pretium tunc se posse recipere. An non usuraria est haec venditio?

3. Ut author antiquus existimat, cujus opusculum reperitur inter opera D. Thomae Opusc. 73. c. 6., omni vitio caret haec venditio. Ratio est; quia Diogenes non ideo praecise majori pretio vendit Antonio frumentum suum, quia differenda solutio; sed quia valde probabile est, frumentum eo pretio constiturum illo tempore, quo id vendere proposuerat. Observandum tamen cum Cabassutio L. 6. c. 9. n. 13. quod

quod si Diogeni persuasum sit, frumentum hoc ad festum S. Joannis non alio quam praecise 40. florenorum pretio constiturum, non possit eodem pretio jam nunc vendere Antonio; quia id incertum est, cum quantitas pretii, quo frumentum tunc constiturum est, dependeat ab eventu modicae vel largae messis. Dein justum ac necessarium est, ut pro ratione periculi, quo jam liberatur, & expensarum in aservationem, conservationem ac translationem frumenti faciendarum eo tempore, quo illud vendere statuerat, pretium minuatur. Denique juxta eundem Cabassutum, ut Diogenes absque peccato reservare possit frumentum suum alio tempore carius vendendum, opus est, ut hoc frumentum habeat ex proprio fundo aut ex propriis redditibus, & non ex emptione aut coacervatione expressae eo animo facta, ut multo carius tempore majoris penuriae vendi valeat. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium. Prov. 11. Pontas.*

Vide cas. seq.

CASUS XXXVII. Balthasar caupo habet in sua cella vinaria decem cados praestantis vini veteris, cujus unus cadus mense Decembri currentis anni constat 40. florenis. Sed cum praevideret, pretium vini sui duplo majus futurum, statuit illud usque ad Pascha aservare, ingens exinde lucrum facturum. Leander etiam caupo petit ab eo vinum, cui respondet Balthasar, velle se illud aservare adhuc sex mensibus, eoquod sibi persuasum habeat, cadum tunc 80. florenis constiturum. Nihilominus tamen vendit Leandro vinum, & pro cadu exigit 70. florenos, quos etiam solvit Leander. Potestne Balthasar tata conscientia tantum lucrum ex vino suo percipere?

3. Vix non idem dicendum, quod ad casum praecedentem. Balthasar legitime vendere potuit vinum suum pro 70. florenis; imo iuste egit; quia illud aservare voluit ad tempus, quo cadum probabilius pro 80. florenis vendere potuisset. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Sulpitius mercator vendit ordinarie merces suas piuris solutionem differenti, quam numeratam persolventi pecuniam; etiam libentius vellet minore pretio vendere mox solventi, quam majore solutionem differenti. Num peccat?

3. Cum non intendat majus lucrum sic vendendo, non videtur injuste agere Sulpitius, maxime cum dilationi solutionis frequenter periculum damni annexum sit: dummodo non vendat merces ultra summum pretium. Aliud dicendum foret, si praecise ex indulta debitori ad certum tempus solutionis dilatione lucrum quaereret: hic enim lucrandi modus